

Quando dominus anni, & dominus radicis fuerint infortunati, fueritq; dominus anni retrogradus, uel combustus, & Luna similiter fuerit infortunata a loco in quo nulla sit receptio, significat quod ille cuius est revolutione seipsum interficiet illo anno, aut committet rem propter quam occidetur, uel propter quam recipiet magnum damnum, & grauitatem, maxime si fortunae remotae fuerint, & cadentes ab eo. Et si ibi fuerit aliquod testimonium fortunarum, aliquantulum remouebunt malum, aut iuuabunt, ut euadat & exeat ab illis impedimentis, & anxietatibus.

Dominus anni cadens ab ascendentे, & Luna uacua cursu, significat uacuitatem, & pigritiam nati in omnibus rebus. Similiter etiam si Luna non aspicerit dominum suum, & applicuerit planetae debili.

Quando dominus anni aspicerit ascendens, uel signum profectionis ascendentis de quadrato uel opposito, est sicut aspiceret eō infortuna, significat enim malum illo anno. Quod si aspectus fuerit trinus, uel sextilis, significat contrarium.

Si fuerit dominus anni combustus, accident illo anno impedimenta nato, anxietates, & fortes dolores de natura illius planetae, qui fuerit dominus anni, com mixta cum natura Solis. Similiter si planeta idem cum eo quod combustus sit fuerit auctus lumine, & numero, malum impedimentum, & infortunium minuit. Similiter si fuerit in domo sua, uel in aliquo locorum, in quibus fortificatur uirtus eius, minuit de malo. Tamen si fuerit in casu suo, cadensq; ab angulis, & in locis in quibus debilitatur eius natura, crescit in malo, & impedimento suo.

Si reperiatur Cometa in ascidente revolutionis, uel radicis, uel in loco Lunæ nativitatis nocturnæ, peribit natus eo anno.

Fortuna radicis, si fuerit dominus loci mortis, & in revolutione peruererit ad significatorem uitæ, uel significator ad eum, abscondit sicut infortunans stella.

Quando Sol & Luna fuerint significatores uitæ, & si directio eorum ad ascendens radicis pertingeret, significat mortem.

Quando gradus ascendentis fuerit uitæ significator, & profectio eius peruererit ad locum Eclipsis, significat mortem.

Pars fortunæ significatrix uitæ, siue Hylech, si ad gradum Eclipsis applicuerit, significat mortem.

Eclipsis Solis in quoquis loco ubi fuerit cauda in radice, si fuerit in eodem gradu, eo anno natus ille morietur. Si autem prope gradum illum, ueniet in periculum mortis.

Eclipsis in aliquo angulo radicis, & maximè in ascidente in ipsomet gradu, minatur etiam mortis periculum.

Si in radice nativitatis Saturnus fuerit in signo igneo, & uitæ significator in aquo, aut terreo, & Saturnus eō radios iaculaetur, erit eo anno mors nati in quo significator ad Saturni radios peruererit.

Cum fortuna fuerit domina loci mortis radicis, & in revolutione anni iuerit ad significatorem uitæ, uel significator ad eam, abscondet sicut infortunans stella.

Cum gradus ascendentis fuerit uitæ significator, & profectio anni peruererit aliquo anno ad locum Eclipsis, ea Eclipsi mortem nato denuncia.

Si luminare fuerit uitæ significator, & peruererit profectio anni ad locum Eclipsis, uel ad medium cœli Eclipsis, damnabit uisum nati. Et similiter si applicuerit ad loca luminarium, aut in radice uitæ significator, damnum erit nato in honore & diuitijs.

Venus in octaua, hæreditatis portionem, & diuitiarum incrementa significat.

Dominus ascendentis revolutionis cum cauda, ueneni pocula uitanda ostendit.

Quoties in revolutione aliqua dominus gradus ascendentis peruererit ad ter-

LII minum